



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Doctrinae Saxonicarvm Ecclesiarvm, Scripta  
Anno Domini M. D. LI. Vt Synodo Tridentinae Exhiberetvr**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1554**

**VD16 C 4808**

Scriptvm Ministrorvm Ecclesiarvm Citerioris Pomeraniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35345**


SCRIPTVM MINI-  
STRORVM ECCLESIA-  
RVM CITERIORIS  
POMERANIAE.

SALVTEM ET PA-  
CEM IN CHRISTO.



VVM ILLU-  
strissimus Princeps Phi-  
lippus, Dux Stettinen-  
sium, Pomeraniae, Cas-  
subiorum &c. Domi-  
nus noster clementissi-  
mus, à nobis peteret, ut  
iuxta edictum inuictissimi Imperatoris  
Caroli, summam doctrinae, quae in Eccle-  
sijs et Scholis nostris magno consensu tra-  
ditur, breui scripto comprehensam, con-  
gruentibus omnium suffragijs, Tridenti-  
nae Synodo offerremus: non grauatim id  
negocij, quod pietati, iusticiae, & praece-  
pto Dei maxime consentaneum erat, sus-  
cepimus. Sed quum id etiam temporis  
uestra confessio Illustrissimi Principis ius-  
su nobis exhiberetur, ac animaduertere-  
mus recitari in ea doctrinam ueram, pi-  
am &

am & salutarem Ecclesiæ, planè congru-  
entem cum scriptis Propheticis & Apo-  
stolicis: uisum est omnibus Ministris &  
Doctoribus Ecclesiarum, qui Grypsuual-  
dæ conuenerant, ut instituto labore su-  
perfedentes, uestram Confessionem no-  
stris omnium suffragijs comprobaremus,  
ac ut nostram, illustrissimo Principi, &  
Tridentinæ Synodo offerremus. Quare  
hîc palàm testamur & affirmamus coram  
DEO & omnibus Sanctis in cœlo & in  
terra, doctrinam, quæ in uestra Confessi-  
one proponitur, uerum & perpetuum  
esse consensum catholicæ Ecclesiæ Filij  
DEI Domini nostri IESU CHRI-  
STI, nôsq; eam toto pectore amplecti,  
ac sonare in nostris Ecclesijs, Academijs  
& Scholis, ac Deo iuuante ad omnem  
æternitatem constâter professuros ac de-  
fensuros esse. Quod quum ita sit, reue-  
renter oramus, ut pro memorabili  
uestra erga nos pietate & beneuolentiâ,  
nostras Ecclesias, & eos qui harum Eccle-  
siarum nomine isthuc emittuntur, doctri-  
na, consilio, & omni genere officij iuue-  
tis, uobisq; commendatos & coniunctos  
esse sinatis: ac omnino statuatis, nos, cum  
de fa-



de sacris cæremonijs in Euangelio institutis, tum uerò de uniuersa doctrina cœlesti, deq; ritibus ad eutaxiam Ecclesiæ pertinentibus, planè idem uobiscum sentire, nec Deo dante passuros, ut ullis unquam temporibus ab hac sententia depellamur. Commendamus etiam filio DEI Domino nostro IESU Christo uestram salutem, eumq; toto pectore & ardentibus uotis oramus, ut actiones & conatus uestros regat & fortunet ad gloriam sanctissimi sui nominis, & ad utilitatem Ecclesiæ. Bene & feliciter ualeat V. E. in Christo, cui & nostras Ecclesias & honesta studia pijs uotis commendamus. Data Grypsuualdæ in Synodo prouinciali, Anno M. D. LII. die XXI. Ianuarij.

Vestræ excellentiæ  
addictissimi

Rector Academiæ Grypsuualdensis, Superattendens, Doctores, Pastores & Ministri Ecclesiarum ceterioris Pomeraniæ.

